

CAPUT VIII.

Pro Missa solemnè Pontificali ab Episcopo celebranda, decet ut sacellum deputetur in Ecclesia (ubi non adsit secretarium) ad sacra indumenta accipienda. Quo ordine Episcopus ad Ecclesiam procedat. Quæ in secretario præparanda, ac facienda sint. Tertia quomodo cantanda, et interim Episcopus parandus, et a quibus. Paramenta qua ratione Episcopo præbenda. Ordo ad altare procedendi. Confessio quomodo facienda. Liber ab Episcopo osculandus, et altare thurificandum. Introitus quomodo legendus. Ad Gloria in excelsis, quo ritu standum. Oratio quomodo dicenda. Episcopus Epistolam et Graduale legit, Subdiaconum Epistolæ benedicit. Quomodo Diaconus procedat ad Evangelium. Quid servandum, si fiat sermo. Benedictio post sermonem danda. Quæ ad symbolum observanda. Quæ a Diacono et a Subdiacono, finito Symbolo, peragenda. Altare post Offertorium thurificandum. Qui, post oblata, incensandi. Ritus dicendi secreta, Præfationem, et Canonem. Ordo accipiendi ac dandi pacis osculum. Quid servandum, si Communio generalis, vel particularis fiat. Quæ agenda post Communionem. Quomodo benedictio in fine Missæ danda.

1. Quo ordine, quoque comitatu Episcopus ad Ecclesiam, sive pro Vesperis, sive pro Missa, aliisque Officiis accedere debeat, superius explicatum fuit. Nunc videnda sunt ea, quæ ad Missam solemnem, ipso Episcopo celebrante, spectant; explicaturi postmodum suis locis in singulis festivitibus, si quid addendum, minuendum, vel immutandum erit.

2. Jam diximus valde convenire, atque antiquæ Ecclesiasticæ disciplinæ consonum esse, ut in Ecclesiis Cathedralibus locus aliquis, si sacellum non adsit, ab antiquis Secretarium appellatum, deputetur, ad quem Episcopus so-

lemniter celebraturus Missam, postquam sua cappa indutus, ingressus fuerit Ecclesiam, sacrasque preces ad altare SS. Sacramenti tantum, et non ad altare majus effuderit, cum suis Canonicis et choro, conveniat.

3. Qui locus præparatus ornatusque esse debet altari decenti cum Cruce, et candelabris, ac cereis accensis, super quo erunt reposita sacra Missalia, et indumenta pro Episcopo, suo ordine. Aderunt etiam ibi sedes pro Episcopo versus cornu dexterum, vel sinistrum altaris, pro situatione et commoditate loci, et sedilia pro Canonicis et aliis circumcirca.

4. In eum locum ingressus Episcopus, factaque reverentia Cruci super altari prædicto existenti, orabit, ac inde sedebit aliquantulum super dicta sede, sibi præparata, donec Canonici extra illum locum capiant sacra indumenta, remanentibus duobus Diaconis assistentibus apud Episcopum, dum alii parantur, qui et ipsi postea accipiunt paramenta.

5. Quibus paratis, atque in eundem locum ingressis, cum debitis reverentiis altari et Episcopo, ac apud eorum sedilia stantibus, Episcopus surget, et stans capite detecto versus altare, dicet secreto totum *Pater noster*, et *Ave Maria*. Tum faciens sibi crucis signum a fronte ad pectus, ea forma, quæ superius expressa fuit, altiori voce incipit horam Tertiam, dicens *Deus, in adjutorium, etc.*, choro prosequente *Domine, ad adjuvandum, etc.*, et Hymnum *Nunc sancte nobis Spiritus*, cui organum intermisceri poterit, secundum regulam in *Capite xxviii. §. viii. Lib. i.* de organo et organista traditam.

6. Quo Hymno finito, cantor dicit Antiphonam, atque incepto Psalmo *Legem pone mihi, Domine, etc.*, Episcopus sedebit, sedentibus etiam Canonicis, exceptis his, qui Episcopo ministraturi sunt; chorus autem prosequetur Psalmos.

7. Tunc minister de libro serviens, cotta indutus, una cum altero candelam accensam tenente, accedent cum libro

ante Episcopum, qui poterunt esse aliqui ex suis Capellanis; et qui de libro serviet, genuflexus manebit, dum Episcopus legit sedens. Episcopus vero sedens, legit Antiphonam *Ne reminiscaris, etc.*, et Psalmos consuetos, duobus Canonicis sibi a lateribus assistentibus, qui debent per totam Missam deservire, alternatim respondentibus. Interim Subdiaconus cantaturus Epistolam, qui simul cum Diacono Evangelium cantaturo, ac aliis Canonicis, erit jam Subdiaconalibus paramentis indutus, dempto manipulo, ut in *Cap. ix. § I. et Cap. xi. § II. Lib. I.* de eorum officio dicitur, et afferet ex credentia super bacili sandalia, et caligas, manibus velo coopertis, alio velo cooperta, ambabus manibus elevata, ante Episcopum, illaque, adjuvantibus duobus Episcopi scutiferis, qui ad abacum solent assistere, genuflexus induit primo in dextero, deinde in sinistro pede Episcopi, detractis prius per scutiferum ordinariis calceis, eodemque tempore sex, vel octo Acolythy cum cottis genuflexi, fimbrias cappæ circumcirca elevat et dilatant, cooperiendo dictum Subdiaconum et scutiferos, quo commodius et decentius officium suum peragere possint.

8. Quibus expeditis, Subdiaconus, et scutiferi prædicti recedunt ad loca sua. Acolythy, aptatis in gyrum cappæ Pontificalis fimbriis, ad altare redeunt, ut præsto sint pro paramentis Episcopo deferendis. Episcopus prosequitur lectionem Psalmorum, quibus dictis usque ad *Kyrie eleison, etc.*, surgens, detecto capite, versus altare, dicit Orationes. Chorus autem admoneatur, ut Psalmos Tertie lente prosequatur, interposito etiam, si opus videbitur, post quemlibet Psalmum organi sonitu, ita ut eodem tempore illos perficiat, quo Episcopus suos Psalmos cum suis Versiculis legerit, et paratus fuerit, ut infra.

9. Lectis Psalmis et Orationibus usque ad Orationem, quæ pro lotione manuum dicitur exclusive, Episcopus, deposita cappa, incipit legere, vel memoriter dicere Orationes, quæ pro paramentis induendis ordinatæ sunt, dicendo singulas Orationes ad singula paramenta, cum illis in-

duitur, excepta Oratione, quæ dicitur ad manipulum, quæ statim post alias dicenda erit, cum dici non possit eo tempore, quo accipit manipulum.

10. Cum Episcopus exiit cappam, dicit Orationem *Exue me Domine, etc.*, dicta per eundem Oratione *Da; Domine, etc.*, pro lotionem manuum, extractisque ei per assistentes Diaconos annulis, lavat manus: et tunc laici tantum, et clerici omnes, præter Canonicos et Prælatos, debent genuflectere, nisi adesset Legatus, aut alter dignior Episcopo, quo casu non debet permittere ut genuflectant.

11. Cum vero sumitur aqua ex abaco pro lotionem manuum Episcopi ab aliquo nobili viro, poterit fieri prægustatio illius a ministris, vel scutiferis illam suggerentibus, ut in *Cap. xi. §. xi. Lib. I.* dictum fuit. Sed si ipsi portantes aquam non sint ex nobilibus civitatis, sed ex scutiferis, seu familiaribus Episcopi, non utique ea forma portabunt, prout dicti nobiles, sed dextera manu urceum cum aqua, sinistra vero lancem, et cum fuerint ante Episcopum, genuflexi, infundunt pauculum aquæ super labio ipsius lancis, eamque, præsentem Episcopo, degustant, tum aquam, supposita lance, super manus Episcopi infundunt: Presbyter autem assistens porriget Episcopo mantile ad tergendum manus, quibus tersis, reponuntur ei annuli ab eodem Presbytero assistente: et hæc forma lotionis manuum servatur semper quando Episcopus intra Missarum solemniam, et in aliis quibusdam sacris actibus publice lavat manus.

12. Statim lotis manibus adsint Acolythy præfati, qui afferunt ex altari paramenta Episcopi per ordinem, unus post alium; videlicet, amictum, albam, cingulum, crucem pectoralem, stolam, pluviale et mitram, quibus induitur Episcopus per Diaconum a dexteris, et Subdiaconum a sinistris paratos, ut supra, hoc modo, videlicet: Diaconus et Subdiaconus capientes singula hujusmodi paramenta de manibus Acolythorum, quisque eorum a latere suo adjuvat vestiendo Episcopum, sed principaliter Diaconus omnia operatur; Subdiaconus vero solummodo coadjuvat, ubi opus

est; et primo offerunt Episcopo amictum osculandum in medio, ubi est designata parva crux, quam in parte prius osculatur etiam Diaconus; mox illum diligenter aptant circa collum Episcopi, ita ut vestium summitates, quæ vulgo collaria vocantur, omnino tegat: deinde cordulas ex eo pendentes post tergum ductas, ante pectus reductas, stricte colligant.

13. Accipiunt deinde albam, eamque circa collum, humeros et brachia distendunt et aptant. Tertio loco cingulum, quo albam constringunt, incipientes a tergo, et ante corpus illam religantes, tum albæ extremitates circumcirca Acolythy sublevant et aptant, ita ut æqualiter defluat, et vestes contegat.

14. Diaconus postea sumpta cruce pectorali, eamque etiam in parte prius osculatam, ipsi Episcopo osculandam præbet, et ejus collo imponit, ita ut ante pectus pendeat; stolam deinde etiam in parte deosculatam, Episcopo deosculandam offert, eamque super ejus humeros applicat, ita ut, nec ejus collum tegat, nec transversa sit in modum crucis, sed æqualiter ante pectus pendeat: quod commodius fiet, si ei cordulæ retro et ante sint annexæ, quibus firmari possit, ne huc et illuc valetur.

15. Demum Diaconus et Subdiaconus imponunt Episcopo pluviale et mitram, deinde recedunt ad scamnum suum, et si Psalmi Tertie non sint perfecti, sedet Episcopus expectans, donec perficiantur, quibus finitis, et repetita Antiphona, Subdiaconus, vel alter, cui ex consuetudine Ecclesiæ competit, in habitu, in quo reperitur, Capitulum cantabit in loco, ubi legi solet Epistola, sibi ipsi librum tenens; dummodo nec altari, nec Episcopo humeros vertat.

16. Tunc Episcopus surgit cum mitra, surgentibus omnibus, versa facie ad ipsum Subdiaconum cantantem Capitulum: et sic stat, donec cantores contentent Responsorium ultimi Versiculi. Finito Capitulo, Subdiaconus reddit librum Cæremoniaro, et vadit ad locum suum.

17. Interea vero duo Acolythy, acceptis duobus candelabris cum cereis accensis, versis invicem faciebus, dummodo nec altari, nec Episcopo renes vertant, accedunt.

18. Presbyter vero assistens paratus, in eorum medio, tenebit librum supra caput; et finito Responsorio, Episcopus, deposita tunc mitra, stans, ut erat, cantat in tono festivo *Dominus vobiscum*, et Orationem: et dicto per chorum *Benedicamus Domino*, ipse Episcopus, deposito pluviali, a Diacono et Subdiacono induitur tunicella, qui constringunt cordulas hinc inde super humeros positas, et deinde eodem modo dalmaticam.

19. Tum Episcopus sedet, et imponuntur ei chirothecæ per Diaconum in dextera, et per Subdiaconum in sinistra, manibus illi prius, et mox chirothecis, per eosdem deosculatis. Mox surgit Episcopus, et induitur ab eisdem planeta, quæ hinc inde super brachia aptatur, et revolvitur diligenter, ne illum impediatur.

20. Si Episcopus pallio uti possit, et eo die uti conveniat, affertur per aliquem Subdiaconum ex altari ambabus manibus, vel aliquo supposito, quod Diaconus capiens, Episcopo offert osculandum in cruce posteriori; et advertat; dum illud capit, ut partem duplicem pallii capiat dextera manu, simplicem vero sinistra, et dum illud imponit, Subdiaconus manu dextera elevat partem, quæ a tergo pendere debet, illudque aptant, ut humeros Episcopi æqualiter ambiat, et pars duplex pallii ponatur super sinistro humero Episcopi. Quo facto, idem Diaconus capit unam ex tribus spinulis per aliquem Acolythum allatis; videlicet pulchriorem, eamque infigit cruci anteriori pallii ante pectus existenti, aliam in cruce sinistri humeri, tertiam Subdiaconus infigit cruci posteriori, quæ omnia ita infigantur, ut tertio transeant per crucem, in qua sint ocelli tres, seu ansulæ tres sericæ, ejusdem coloris nigri; ita tamen ut nec crucem, nec pallium perforent, neque planetam tangant; et gemmæ spinulis appositæ, remaneant ad dexteram infigentis.

21. Tum sedenti Episcopo imponitur per Diaconum mitra pretiosa, sumpta de manibus Capellani, de illa servientis, Subdiacono vittas elevante.

22. Demum imponitur per Presbyterum assistentem annulus Pontificalis annulari digito dexteræ manus Episcopi, annulo prius, et manu postea deosculatis. Episcopo parato, accedunt ad eum Archidiaconus et alter Diaconus, seu duo digniores Canonici Diaconi, parati dalmaticis, qui ei a lateribus assistunt a principio.

23. Diaconus vero et Subdiaconus recedunt et capiunt suos manipulos, et antecedent Acolythro thuriferario cum thuribulo et navicula, ministranteque Presbytero assistente naviculam, Episcopus imponit et benedicit thus, ut supra in *Cap. i. Lib. II. §. XII. de Vesperis solemnibus*, Episcopo celebraturo, dictum fuit. Deinde Episcopus cum suis ministris, facta reverentia Cruci super altari in dicto sacello, seu secretario existenti, processionali ritu procedunt ad altare, in quo Missa est celebranda, hoc ordine.

24. Thuriferarius cum thuribulo, deinde ceroferarii cum candelis accensis, medium habentes alterum Subdiaconum paratum tunicella, crucem deferentem: deinde clerici et Beneficiati Ecclesiæ cum suis cottis, bini et bini, incipiendo a junioribus, seu minus dignis. Hos sequitur reliquus clerus illius Ecclesiæ suo ordine, ita ut digniores semper sint posteriores in Processione. Canonici vero, qui sunt parati, antecedent Episcopum immediate.

25. Post Canonicos procedet Subdiaconus Epistolam cantaturus, gerens librum Evangeliorum clausum ante pectus, in quo includitur manipulus Episcopi, deinde Diaconus ad sinistram Presbyteri assistentis, pluviali induti, demum Episcopus cum baculo pastorali in manu sinistra, parte curva baculi ad populum versa, ac dextera benedicens, si sit in sua Civitate, vel Diocesi, medius inter Diaconos assistentes paratos. Si autem Episcopus sumpsit paramenta in presbyterio apud sedem, vel in faldistorio, non fit hujusmodi Processio; sed procedit Episcopus ad

altare sine cruce, sine candelabris et sine thuriferario, cum solis ministris paratis, ut supra, et quibusdam aliis.

26. Post Episcopum sequitur Capellanus serviens de mitra, et alii Capellani cum cottis, bini et bini incedentes.

27. Si vero celebrans fuerit Archiepiscopus, aut Archiepiscopo major, aut habens privilegium, ut crux ante se deferatur Archiepiscopalis, per Subdiaconum paratum, de quo supra, defertur ante Canonicos paratos tantum, non autem ante alios de clero, imagine Crucifixi ad ipsum versa.

28. Cum Episcopus fuerit prope altare, salutatur exigua capitis inclinatione Canonicos paratos, apud eorum sedilia stantes; ipsi vero Canonici faciunt ei profundam reverentiam.

29. Si forte adesset Legatus Apostolicus, vel aliquis Cardinalis, aut Archiepiscopus, vel alii Prælati, vel magnus Princeps loci, illos prius debet Episcopus cum mitra salutare, et illi Episcopo aliquantulum assurgentes, denudato capite respondere, præter Cardinalem, qui non debet assurgere, sed tantum discooperire caput.

30. Cum vero Episcopus pervenerit ante infimum gradum altaris, reddito baculo pastoralis ministro, qui de eo servit, et deposita ei per Diaconum mitra, facit profundam reverentiam cruce super altari positæ, simul cum suis ministris. Interim recedunt alii ministri, qui eum illuc usque secuti fuerant, excepto eo, qui de baculo, altero, qui de thuribulo serviunt, duobusque Diaconis assistentibus, qui remanent. Episcopus vero habens a dexteris Presbyterum assistentem, et a sinistris Diaconum, et apud eum modicum retro Subdiaconum, qui tunc relinquit librum Evangeliorum in manibus Cæremoniarii, facit cum eis Confessionem; junctis manibus, stans aliquantulum inclinatus. Interim cessat sonitus organorum, et chorus incipit Introitum.

31. Dum Episcopus facit Confessionem, profert verba erga dictos ejus ministros, stantes apud eum, capite incli-

nato, in plurali, dicens: *Vobis fratres*, et *Misereatur vestri*, etc. illi vero erga Episcopum in singulari, id est, *Tibi Pater*, et *Te Pater*, et *Misereatur tui*, etc., quæ dum dicunt, caput versus Episcopum profundius inclinant.

32. Cum Episcopus dixerit *Indulgentiam; absolutionem et remissionem*, etc., Subdiaconus capit manipulum, qui fuerat inclusus in libro Evangeliorum, et a latere manipuli osculatur, deinde porrigit Episcopo osculandum, ubi est signum crucis, mox applicat sinistro Episcopi brachio cum osculo manus, ipsumque stricte religat. Canonici parati, stantes in suis locis faciunt simul Confessionem bini: similiter alii, si qui erunt parati, alias genuflexi, prout etiam laici omnes tunc genuflectunt.

33. Finita Confessione, Episcopus extendens ac jungens manus, clara voce dicit *Oremus*, et ascendens ad altare cum Diacono Evangelii a dexteris, et Presbytero assistente a sinistris, dicit submissa voce *Aufer a nobis*, etc.; deinde manibus junctis super altari, inclinatus dicit *Oramus te, Domine*, etc., prout habetur in Missali, et cum dicit *Quorum Reliquiæ hic sunt*, etc., positus hinc inde super altari manibus extensis, osculatur illud in medio, nullam tamen ibi designans crucem; et statim ambabus manibus tangens librum Evangeliorum, sibi a Subdiacono a sinistris stante oblatum, in folio Evangelii currentis illum osculatur, adjuvante Presbytero assistente.

34. Tunc accedit ad altare thuriferarius cum thuribulo et navicula, quam porrigit Diacono, et ille Episcopo, qui imponit et benedicit thus more solito; et accepto thuribulo de manu Diaconi, thurificat altare, prout in suo loco explicatur.

35. Reddit deinde thuribulum Diacono, et accepta mitra pretiosa a digniori Diacono, in officio assistentis serviente, stans in cornu Epistolæ manibus junctis, incensatur a Diacono triplici ductu thuribuli. Tum ex eodem loco facta cruci reverentia, in medio altaris positæ, acceptoque baculo in manu sinistra, medius inter Diaconos assistentes (nam Dia-

conus et Subdiaconus remanent apud altare) vadit ad sedem suam, ubi stans, deposita mitra, et facto sibi signo crucis a fronte ad pectus, legit Introitum ex libro, quem sustinet Capellanus de eo serviens supra caput, altero candelam accensam tenente. Assistentes vero hinc inde ostendunt digito quæ sunt legenda, et vertunt folia.

36. Deinde cum eisdem assistentibus dicit alternatim ter *Kyrie eleison*, ter *Christe eleison*, et ter *Kyrie eleison*, Diaconus et Subdiaconus idem dicunt inter se apud altare, sicut et cæteri in choro. Quo dicto sedet, accepta per primum Diaconum assistentem mitra auriphrygiata simplici, si hæc placeat, et gremiali, et pariter omnes sedent. Presbyter assistens sedet in scabello, prout in *Cap. VII. §. IV. Lib. I.* de Presbytero assistente, tam in Vesperis, quam in Missis dicitur. Diaconi assistentes sedent hinc inde a lateribus Episcopi in scabellis nudis: Diaconus vero et Subdiaconus in Missa ministrantes, apud altare super aliquo scamno apud cornu Epistolæ sedent.

37. Cum cantatur a choro ultimum *Kyrie eleison*, surgunt omnes ministri circumstantes Episcopum, et auferitur Episcopo per assistentem a sinistris gremiale et mitra; pileolum vero per assistentem a dexteris, complanatis cum eo capillis, quod penes se retinet; sed mitra et gremiale ministris ea servantibus traduntur.

38. Finito a choro cantu *Kyrie eleison*, surgit Episcopus; adjuvantibus eum ministris assistentibus; versa facie ad altare, et allato ante eum libro et candela, si ea uti velit, cantat ex eo alta voce *Gloria in excelsis Deo*, disjunctis elevatisque manibus ad altitudinem humerorum; ita ut vola unius manus respiciat alteram: quod semper in hujusmodi manuum elevatione observatur: et cum dicit *Deo*, jungit manus, et caput inclinat: librum vero sustinet supra caput Presbyter assistens paratus pluviali, quem regulariter sustinere eo modo debet, quoties Episcopus aliquid alta voce cantat; quo casu minister, qui alias servit de libro, adjuvat ad sustinendum illum; secus quando Episcopus

submissa voce legit : Diaconi vero assistentes hinc inde indicant digito quæ sunt legenda , et vertunt folia.

39. Postquam Episcopus incœpit , cantando præfatum Hymnum , prosequitur illum submissa voce cum suis ministris. Diaconus et Subdiaconus , ac Prælati et Canonici in suis locis idem bini simul faciunt ; et in fine Episcopus sedet , accepta mitra simplici , et gremiali ; et similiter sedent omnes , usque quo per chorum perficiatur Hymnus cum organo : quo finito , et organo cessante , surgit Episcopus , deposita mitra , et gremiali , surgentibus omnibus , ut prius , et stans versus populum , elevatis , et statim junctis manibus , cantat *Pax vobis* ; deinde conversus ad altare , extensis et statim junctis manibus , *Oremus* , et iterum , extensis manibus , Orationem , et cum dicit conclusionem ultimæ Orationis , id est *Per Dominum nostrum* , etc. , denuo jungit manus , prout plenius circa hujusmodi junctionem , et disjunctionem manuum in Rubricis Missalis declaratur. Sedet deinde Episcopus , sedentibus omnibus.

40. Subdiaconus autem accipiens librum , factisque debitis reverentiis altari et Episcopo , comitante ad ejus sinistram Cæremoniario , et sibi ipse tenens librum a latere sinistro altaris , vel , ubi ita consuetum sit , in ambone , cantat Epistolam alta voce , qua finita , et factis debitis reverentiis , portat eodem modo , quo supra , ante Episcopum librum clausum , quem inclinatus porrigit illi super ejus genibus , et manum dexteram illius super libro positam , reverenter osculatur , et accepta benedictione ab Episcopo , redit ad scamnum suum apud altare , et ibi expectat , donec fuerit tempus eundi ad Evangelium.

41. Osculata manu Episcopi per Subdiaconum , accedunt duo ministri servientes de libro et candela ante Episcopum , qui sedens cum mitra , ex libro Missali legit Epistolam , Tractum , vel Graduale , vel Alleluia , vel Sequentiam , et alia usque ad finem Evangelii , quod antequam incipiat , junctis manibus dicit *Munda cor meum* , etc. , et *Jube*

Domine , etc. , et *Dominus sit in corde meo* , etc. , et *Dominus vobiscum* : cui Diaconi assistentes respondent *Et cum spiritu tuo* , et legens titulum signat pollice dextero textum Evangelii , deinde se ipsum in fronte , ore et pectore , mox junctis manibus , prosequitur Evangelium. Quo finito , assistentes respondent ei *Laus tibi* , *Christe*. Sed si Episcopus non sit in sua Ecclesia , vel celebret apud falditorium , Subdiaconus , osculata manu Episcopi , tenet ante eum Missale apertum , ex quo Episcopus legit ut supra , et interim omnes sedent.

42. Cum cantatur ultimus versus Gradualis , sive Tractus , seu Alleluia , vel Sequentia , Diaconus , sumpto libro Evangeliorum , factaque reverentia Episcopo , illum clausum , congruenti mora , affert ad altare , illi in infimo gradu se inclinans , tum ascendit , et collocat illum in medio altaris : deinde facta altari reverentia , vadit ad Episcopum , cujus manum reverenter deosculatur ; tum reversus ad altare , in ejus inferiori gradu genuflexus , dicit secreto *Munda cor meum* , etc. , et deinde capit librum , et illum portat ante pectus , et apud altare in cornu Epistolæ in plano expectat.

43. Interim accedit Acolythus ad Episcopum cum thuribulo et navicula , et ministrante illam Presbytero assistente , Episcopus imponit et benedicit incensum. Tum Acolythus , recepta navicula de manu Presbyteri assistentis , redit ad altare , et ibidem cum duobus aliis Acolythis ceroferariis , Diacono et Subdiacono , expectat , donec tempus sit eundi ad cantandum Evangelium.

44. Circa finem ultimi versus Gradualis , vel Alleluia , sive Tractus , vel Sequentia , thuriferarius , ceroferarii , Subdiaconus et Diaconus portans librum Evangeliorum clausum ante pectus , facta prius altari reverentia , veniunt ante Episcopum , ubi Diaconus inclinatus petit benedictionem , dicens intelligibili voce *Jube Domne benedicere* , cui Episcopus respondet *Dominus sit in corde tuo* , etc. , et facit super eum signum crucis. Tum Diaconus facit Episcopo profundam reverentiam ; ministri vero , qui cum eo sunt ,